



[Faint, illegible handwriting on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.]



77 10
INTELLIGENTIARUM
ORBES COELES TES MOVENTIUM

DIMISSIO

FACTA
SUB PRÆSIDIO

VIRI

AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI,

DN. JOHANNIS Sperling,

P. ET HODIE-DECANI

RESPONDENTE

JOHANNE FRIDERICO SCULTETO
TORG. ALUMN. ELECTORAL,

Ad diem XIV. Martij.

In Auditorio Majori

WITTEBERGÆ.

Typis JOHANNIS BORCKARDTI.

ANNO 1655-

VIRIS

*Admodum Reverendis, Excellentissimis, Amplissimis, Clarissimis,
Spectatissimo*

Dn. JOHANNI MEISNERO S. S.
THEOLOGIE DOCTORI, EJUSDEMQUE PROFES-
SORI PUBLICO.

Dn. GODOFREDO MEISNERO
S. S. THEOL. DOCTORI. ECCLESIAE HAINENSIS PA-
STORI, EJUSDEMQUE DIAECESEOS INSPECTORI
ET SUPERINTENDENTI.

**Dn. M. CHRISTIANO MEISNE-
RO,** SUPERINTENTURAE TORG. ADJUNCTO, & EC-
CLESIAE PATRIAE ARCHIDIACONO.

Dn. M. JOACHIMO MEISNERO,
SCHOLAE TORGENSIS RECTORI.

Dn. GEORGIO MEISNERO,
MERCATORI APUD TORGENSES FACILE
PRIMARIO.

SE & OMNIA SUA DEDICAT.



Nihil unquam tam ineptè atq; insulsè dictum est,
quin fautores atq; asseclas suos non invenerit. Fru-
strâ recenseo singula. Quid enim hâc ipsâ contro-
versâ, INTELLIGENTIAS MOVERE ORBES COELESTES,
ineptius? Et tamen à Viris non infimi subsellij probata olim
est. Cælum nullos orbis sustinet, & tamen Intelligentia
eos circum rotant. Ut in rerum universitate nihil constanti
mortalibus sententiâ acceptum est. Mens humanâ opinione
delusa, flectit ubiq; ad peiora iudicium, & novandi cupida,
ne in optimis quidem potest consistere. Taciti sententia est,
Difficillimum esse tenere ex sapientiâ modum. Somni-
ant quidem Poëta Fixionem velut in gyrum circuli por-
rectum, rotis apud inferos alligatum esse. Sed somniant, &
quis Poëtis omnia augentibus tutò credidit. Vel si hâc mente
Interpretes Aristotelis sententiam suam propugnant, salva
res est. Et esto: vera hac olim, ab Aristotele, aut aliis ha-
bita esse, anne ideò vera sunt? Veritas defendenda, nullius
auctoritas. Christiani sumus, h. e. ex sacris, non ex Aristotele
aut aliis Angelorum officia addiscamus. Quare ergò, satis
hactenus bajulastis Intelligentiâ meâ. Ite nuuc, ite inanes.
Nec meo nutu, sed communi doctorum Virorum suffragio di-
missa. Cl. Sperlingius monet, & præter hunc multi alij,
quos nunc advoco. TE, inquam JOHANNES MEIS-
NERE, TE GODOFREDE MEISNERE, TE CHRI-
STIANE MEISNERE, TE JOACHIME MEISNERE,
Vos inquam, advoco, (Sed quales Viros?) Et Te tandem
GEORGI MEISNERE, spectatorem saltem volo.

Aristides orator Græciæ nobilis, quum Jovi suo hymnum, di-
caret,

caret, & tamen conscius tenuitatis suae, praestat, inquit, ri-
deri à Diis, si opus sit, quam reprehendi. Satius nempe
putabat Vir nobilis, risum in Deorum confessu excitare,
atq; intermissa pietatis crimen admittere. Nos securi tali-
um, Patroni optimi, ut qui conatus nostros lætâ acclama-
tione excitastis. Hilari fronte, & sereno adfectu accipie-
tis, quicquid ab humili ingenio proficiscitur. Dabitis ve-
niam defectibus meis, si qui sunt, & cogitabitis, nihil
unquam tam ineptè atq; absurdè dictum esse, quin fau-
tores suos non indenerit. Scrib. Witteb: Kal. Martij.
CId Idc LV.

JOHANNES FRIDERICUS SCULTETUS.





Philosophi, licet olim

Naturæ interpretes, & Patres melioris
sapientiæ habiti sint. Quia tamē verbo
Dei destituti, parū effecerūt. Sæpè nec
ea quidem, quæ ante pedes sunt, intel-
lexerunt. Theophrastum ferunt dice-
re solitum, maximam partem eorum quæ sciret, mini-
mam esse eorum, quæ nesciret. Ita universus orbis, qua-
qua versum, quem oculis usurpamus nostris, ignoran-
tiæ nostræ doctor est. Et quum totum complexi cog-
nitione nostrâ visi sumus, vix partem aliquam compre-
hendi mus. Lapillus, quem punctura, vel linea quæ-
dam commendat, quam mirè ambit ingenia homi-
num. Quæ pericula non sustinet, ut virtuti ejus alicui
fidem conciliet institor. Et tamen si singula demum
examinaverimus, plurima sine testimonio credere
nos, apparebit. Quoties iners flosculus, vel inter rude-
ra parietina nos latet. Et quum superare tantam dif-
ficultatem nostrinon sit, ipsi herbam aliis porrigimus
Quæ omnia si in humanis ita eveniunt, quid in coe-
lestibus fieri existimabimus? Unde profectò æque du-
bium est, an gentiles Philosophi solo naturæ ductu de
beatissimis illis mentibus, quis vulgò Angelos dici-
mus, tam certam & infallibilem potuerint habere no-
titiā; ita quidem ut eorum naturam, differentias,
officia & attributa intellexerint. Sive enim illa ipsa
argumenta, quæ pro stabiliendâ hâc sententiâ passim
circumferuntur, penitus inspexerimus, non Ari-
stotelis (præter unicum de orbium coelestium circum-
rotatione) sed Interpretum esse, oppidò deprehende-
mus. Agite ergò, liberè philosophemur, i.e. affir-
mantium & negantium audiamus rationes. Et quid
de orbium coelestium motu, aut intelligentiarum exi-
stentiâ

isientia olim senserint, explicemus. Philosophia quaerit, Theologia confirmat, Religio possidet.

ap. ol. c. 32.

*lect. ant.
tigue c. 9.
l. 1.*

*Put: ger.
serm. p. 19.*

1. Substantiis, illis quæ medium occupant locum inter animam nostram intelligentem & Deum, ab aliis atq; aliis, alia atq; alia attributa sunt nomina. Sunt qui Intelligentias vocant, sunt qui Dæmonas, sunt qui Genios. Tertull. *Nescitis, inquit, genios Dæmones dici & inde deminutivâ voce Dæmonia.* Observat & Proclus Dæmonem non uno modo dici, alius n. ipsâ essentiâ Dæmon est, comparatione alius, alius habitu In antiquis Inscriptionibus saepe: GENIO LOCI. sic GENIO SCHOLÆ GENIO HORREORUM, GENIO EXERCITUS. GENIO CENT. GENIO COLONIÆ. GENIO MUNICIPII. GENIO CONVENT. GENIO PAG. GENIO LAVACRORUM &c.

*de B. J. lib.
II. c. 26.*

2. Et quid multis? tanta & tam religiosa olim erat memoria Genii, ut maximum juramentum fuerit, per genium Principis jurare. Iple Caligula multos supplicio mulctavit, qui per genium suum peieraverant. Et tamen solemnem fuisse Judæis ejus modi obtestationem per Angelos liquet ex Josepho, ubi Rex Agrippa ad Judæos, ut eos in fide Romanorum retineret, sic incipit: *μαρτυροῦμαι δὲ γὰρ μὲν ὑμῶν τὰ ἅγια, καὶ τὰς ἱερεῖς ἀγγέλους καὶ πατρίδα τὴν κοινὴν.* Sed Christiana gens tempore nascentis Ecclesiæ morem hunc, ut alios Ethnicorum omnes, detestata fuit. Et quamvis coacta jurare per genium Cæsaris, recusabat tamen, teste Baronio, lib. II. annal.

3. Deinde Intelligentiarum nomen olim familiare erat. Et ut Rabbini asserunt, hodie nullum regnum vinei evertiq; potest, nisi Intelligentia ipsi præfecta inde moveatur. Unde & evocatio Geniorum inter gentiles introducta, & Romanis usurpata fuit.

4. Ipsam tandem Angelorum denominationem,

nem, partim lectione librorum nostrorum, partim
famâ ac traditione à majoribus hauritam, olim accepe-
runt. sic citantur ex Orphei carminibus isti versus à
Clemente Alexandrino.

Σὺ δὲ θρόνω πυρόεντι παρεσῶσιν πολύμοχοι
Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε, βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται:

Throno tuo ignito astant laboriosi

Angeli, quibus cura est, qm. à mortalibus omnia gerantur

De quibus infinita afferre in facili esset, si deflorare scri-
ptorum volumina, atq; excerpere vacaret. Quum de-
monstrare & ex Hierocle & aliis posset; ipsum Ange-
lorum quoq; nomen, neq; Ægyptios sacerdotes, neq;
Pythagoram etiam latuisse. Sed tamen illa Geniorum &
Dæmonum traditio in tantam superstitionum voragi-
nem absorbit, quicquid de sanctis Angelis, & primæ-
va Vetustas credidit. Nunc ut præter fallacias Satanæ
ineptientis nihil apparuerit demum amplius.

5. Atq; ut alias certum est, ex revelatione con-
stare duo Angelorum esse genera, unum bonorum, al-
terum malorum: ita an sciri hoc evidenter sive ex na-
turâ demonstrari possit, multum dubito. Aristotelis ar-
gumenta à motu orbium cœlestium desumpta, qui eve-
niant, non video. Quid si enim moveantur illi à natu-
rali principio intrinseco, vel etiam moveantur à moto-
re intrinseco. Ergò & immateriatus, & intelligens cen-
sendus propterea est? Equidem puto nihil implica-
bit, si quis materiaturum hunc ponat. Ita da mihi o-
perationes alias, aut in tuam sententiam me non pro-
trahes. Quando fieri omninò potest, ut illæ à DEO
mediante Naturâ profici sciantur.

9. Nunc ut primum auspiciam sovum sumat
nostra disputatio. Quaritur? AN INTELLIGENTIÆ
MOVEANT, ET CIRCUMROTENT ORBES COE-
LESIES?

Ad

Ad hanc ipsam quaestionem feliciter expediendam, fatius erit praecipua Auctorum notasse capita.

Affirm. 1. Philosophi. Platonici. Peripatetici, ac Stoici. Plato lib. 1. de L.L. Arist. XII. Met: c. 8. textu 43. lib. 8. Phys. a-croas. c. 6. Seneca apud Lactant. lib. 1. instit. c. 4. Scaliger exerc: 359. sect: 8

2. Scholastici Thomas opusc: 11. artic. 2. de pot: qu: 6. artic. 3. Bonavent. 21. sent. dist. 11. qu: 12.

3. Rabbini, & multi alij R. Mosche. Ben Maimon in epist. de Astrol. referente Reuchlino in notis lib: 3. Cabala p. 766.

7. Nobis negativa arridet sententia. Quam quidem ut multis probemus, non est. Et quidem si numero certandum, tot Adversariorum nemo resisteret copiis. Sin a. tales spes habet Aristoteles, nullas habet. Paucis contenta veritas, quæ vel uno & altero argumento defendi potest.

[1.] O, motus naturalis à principio interno oritur. Motus stellarum est naturalis.

E à principio interno oritur.

Majorem definitio motus naturalis offert: Ita habet: Motus naturalis est, qui à principio interno oritur, Minor concessa est, & vel ex eo patet, quod nullum violentum diuturnum.

8. [II.] Motus ille corporum caelestium aliunde non provenit, quàm à formâ interna, & vi illâ à Deo illis primitus indita, quod tali munimus argumento,

Unde temporum, annorum & dierum distinctio, inde & cœli motus:

Atqui non ab intelligentiâ, sed à forma cœli est illa temporum distinctio. E.

Major patet, quia illius temporis distinctio, nullam aliam præter motum corporum caelestium causam

samagnoscit. Hæc nempe fini à DEO condita sunt hæc, sic sol per septentrionalia currens signa astatem, per australia hyemem efficit. Minorem h. m. probamus.

Cujus virtute terra stat & quiescit, illius etiam virtute corpora cœlestia tempus distinguunt.

Jam ex naturali interno principio terra stat & quiescit. E

9. [III.] Inter sententiæ hujus patronos nondum convenit. Primus ejus auctor audit R. Moyses in Talmud, ex quo Philosophi acceperunt, quis vero ille motor sit & quomodo se ad motum habeat, omnes maximè dissentiunt, ut patet ex Colleg. Conimb. lib. II. de cœlo. c. V. qu: 5. artic: 4. & qu: 8. artic. II. c. 6. qu: 1. artic: IV. *Est quidem hæc sententiæ Aristotelis, & multorum Aristotelicorum, sed adeò dubia, ut ipsimet Aristotelici inter se prorsus non conveniant, nec cum suo capite consentiant, ait Rever. Dn. D. Scharff. lib. III. Pneum. p. 2.* Peripatetici dicunt, (verba sunt Scheibleri lib. II. Met: p. 457.) *Angelos movere cœlum, & orbis cœlestes, quanquam hæc de re valde ambigo. In primis enim videtur natura cœli ad hoc sufficiens esse, nec apparet, quare non potuerit DEUS facere rem aliquam inanimatam, quæ seipsam ex naturâ suâ moveat in loco suo, ut porro opus non sit externo motore.* Augustinus, Niphus, & Petrus Pomponatius statuunt Angelos esse cœli formas informantes, sed Thomas, Scotus, &c. Assistentes Aureolus apud Capreolum 2. sent. dist 9. qu: 1. Mirandulanus lib. 21. de evers. singul. certam. sed: 6. & alii opinantur Intelligentiam esse vere formam sui orbis, ita ut ei non solum motum, sed etiam dimensionem, figuram, raritatem.

B

ritatem, ac densitatem, cœterasq; perfectiones cœlesti naturæ congruentes impertiat, Quam etiam sententiam Averrois esse volunt sed his omnibus fortiter contradicit Thomas lib. II. contragentes. c. 63. Pleni q; statuunt in cœlo non esse principium motus internum, sicut in elementis tam gravibus quàm levibus sed ab externo motore illud circumagi, sicut navis propellitur à nauclero. At Salmeron tomo I. prol. 10. p. 138. Intelligentias non tam auctores, quam adjuutores duntaxat illius motus statuit. Plura sententiarum divortia chartis illinerem, hæc nisi sufficerent,

10. Sunt [V.] qui per deductionem ad absurdum contra hanc sententiam sic insurgunt.

Si Intelligentiæ movent cœlum, aut movent mediatè, aut immediatè, sc: aut interveniente, aut conferente naturâ, aut non conferente. Si immediatè sc: soli, non conferente natura & forma cœli, motus cœli non erit naturalis, quia motus naturalis est, qui est à natura, quæ est causa interna, qua quodvis corpus naturale suam habet essentiam, affectiones, actiones & passiones. Aut ergò Intelligentia erit natura cœli, & forma intrinseca | aut non erit immediatum motus cœli principium. Prius dici non potest E. remanet posterius.

Porro. Ad quemcunq; motum nihil confert natura, sed tantum fit ab aliquo externo principio, ille est violentus. Ergo cœli motus esset violentus. Ergò non diuturnus. Ergò non fit immediatè ab extrinseco aliquo motore, si mediatè, h. e. conferente natura non

probabitur sufficienter eum motum fieri à Creaturâ,
puta Intelligentia. Nam sic moveretur à solo DEO,
qui ut totum hunc mundum produxit, ita & omnes in
illo creaturas, adeoq; coelorum conversiones movet
& fovet. Ergò movebitur à DEO, tanquam causa
prima, mediante ipsa natura, & forma coeli. Quæ
n. immediatè absq; interuentu causarum secundarum
à DEO moventur, ea miraculosè moventur.

ii. Argumentu partis contrariæ depromun-
tur tum ex natura, tum ex scriptura. Dicant n.

[1.] Angeli sunt spiritus administratorii. E. non
repugnat eos movere orbis cœlestes Resp. Aliud est
loqui de Angelis à DEO creatis, qui Creatorem lau-
dant & hominibus inserviunt. & de Intellige-

tiis Peripateticis, de quibus multa disputant, si-
cut Platonici de suis ideis. Quibus nos etiam

permittimus, ut sive hoc, sive aliud officium eis as-
signent. [2.] Aliud est officium Angelorum,

quod DEI jussu & ordinatione ipsis injunctum,
quod in scriptura S. describitur, & aliud à Philo-

sophis lusum, & ingenii gratia excogitatum. Aut
si demus Angelos præfectos esse cœlo, adhuc Di-

st. inter cœlum gratiæ, & naturæ. Præfunt cœ-
lo, non naturæ, sed gratiæ, quod est Ecclesia Af-

sistunt stellis, sed ministris Ecclesiæ, & quibus li-
bet fidelibus qui mundi luminaria in scriptura S.

possum appellantur. Deniq; aliud est Angelos mo-
vere cœlos, aliud hoc non repugnare istis, An

fiat, quæritur; non an repugnet, an non,

12. [11.]

B 2



12. [II.] Sapientiæ & potentia DEI nihil decedit, si cœlum mediatè per Angelos movere velit. Resp. quis neget hoc? à posse ad esse tamen, N. V. C. Et deinde, contrarium potius liquet. ex sacris Es. XL. 26. Jerem. XXXI. 35. & alibi. Ubi Deus sibi soli hoc munus vindicat & reliquas creaturas, quæ non sunt DEUS, excludit. Taceo etiam, quod hoc utiq; non in omnipotentiam, sed impotentiam DEI cederet, ut qui tanto oneri ferundo non sit par.

13. [III.] Q. in naturali loco est, per propriam formam quiescit potius, quam movetur. Bene. Sed audi Excell. Præsidentem, Præceptorem nostrum perpetuum. Falsum est res in naturali loco degentes, quiescere potius, quam moveri. Est in naturali loco equus, in terrâ currens. Est avis in aere volans, est piscis in aquâ natans. Ergone quiescunt, quæ currunt, quæ volant, quæ natant? Si dicunt animata hæc esse, dicimus nos sub univetsali majori comprehendendi omne particulare.

14. [IV.] Non potest ex lumine naturæ probari dari Angelos, nisi si movere dicantur cœlum? Resp. quid tum? nec quicquam detrimenti hinc capiet Physica, si vel maximè Intelligentias non intelligat Physicus. Suppetunt tamen alia argumenta, quibus hodie Angelorum existentiam ex naturâ probare possumus. Nam si cum adversario ageres, illi si scripturam S. rejicit, nec Angelos dari, persuadebis. Sin a scripturam S. adhuc admittit, secundaria argumenta ex ratione petita Scripturæ sacra superaddere poteris,

15. &

15. & Nunc quia res ita fert, lubet huic quaestioni paucis immorari, quando quaeritur? an ARISTOTELES, aut ALII GENTILES CERTISSIMAM CE ANGELIS HABUERINT NOTITIAM?

Prius, quod attinet, lubentes concedimus Aristoteli quasdam de Angelis notitias, sed rudes & exiguas. Sæpius enim cum Judæis conversatus est, teste Josepho. Eiusdem colloquium cum Iudæo Cunnæus annotat, *Sed quod additum ibidem est ab Aristotele, lib. 1. de nec supra fidem videtur, & apprimè gloriosum sacra genti Rep. He- est. Venisse enim ad se in Asiâ quum esset, Judæum quendam, br. p. 20. ait, tantâ eruditione atq; scientiâ hominem, ut præ illo omnes græci, qui aderant, trunci esse & stipites viderentur.* Ubi nec, tam de rebus profanis, quam sacris differuisse eos constat. Legem n. habebant quam R. Zacuth memorat in libro Juchasin ארור מישלמר לבנו הכמה יוניר Maledictus, qui filium suum Græcorum instruxeritj disciplinis. Gemina his, aut non plane aliena, vide sis in trigâ illâ disputationum Excell. Meisneri de notitiâ DEI naturali.

16. Ita Thomas in opusculo de unitate intellectus adversus Averroem visos sibi ait libros Aristotelis de substantiis separatis, DEO potiss & animâ hominis, sed nondum in linguam latinam conversos. Et libri illi de secretiore parte Philosophiæ, seu divinæ sapientiæ secundum Ægyptios, qui in Bibliothecâ Damascenâ exstant Arabicè, & Carpentarium sortiti sunt interpretem, Aristotelis nomen præ se ferunt. De quo tamen alii dubitant. Nihil ominis pro certo habemus, Aristotelem, ut qui sapiensiam Chal-


dæorum, Ægyptiorum; Assyriorum, quique hos
secuti Platoniorum, nonnihil edoctus, Angelorum
existentiam habuisse cognitam.

17. Præterea & Pythagoras teste Simplicio
primus Intelligentias agnorit, ut qui Ægyptys & Sy-
ris usus est magistris, illis videl. quibus Patriarcha-
rum doctrina haud fuit incognita. Ipse Phil. lib.
XII. Met. c. 8. suo tempore traditionem aliquam
de Intelligentiis seu Dys motoribus obtinuisse refert.
Plato per Tymæum, Critiam & dialogum X. de
L. L. multa de Angelis inseruit. Unde Eusebius ali-
quot libris de præparatione Evangel. pluribus ac-
gumentis colligit, ex sacris hausisse libris Platonem
optima quæq; quæ ad posteros transmisit.

18. Porrò quod reliquos paganos spectat,
ex sola natura Angelos addidicisse, quis crederet? sci-
licet antiquis simæ religionis, quam DEUS priscis illis
seculis Patribus communicaverat, simulacra accepe-
rant gentiles. Hæc quum inquinassent postea fa-
bulis, & impuris ritibus, umbram aliquam luscis
veteris in densâ caligine retinuerunt. Quod &
S. A. D. II. nominatiss. ille Theologus DORSCHÉUS accuratè,
& V. ut omnia, persequitur. Ubi postquam nos ad sacram
lucem vocat, quid non ad principia revolvimur,
inquit. Illic DEUM & Angelos perfectè agnosci-
mus. Nec dissentit B. Meisnerus. *Parum de Ange-
gelis cognoscit ratio ex suis principiis, illudq; saltem ob-
scure & dubitanter. Quam ob causam hic quoq; Scri-
ptura nobis consulenda est, quæ sola de Angelorum exi-
stentiâ*

stentiâ nos certificat, & ipsorum naturam promodo captus nostri manifestat. Et Excell. Joh. MEISNERUS Nobilissimæ Creaturæ sunt Angeli, quorum Existentiâ, dotes, facultates, differentiæ & officia, ex solâ revelatione divina certo cognoscuntur.

Tantum!



AD


Præstantissimum,

DN. RESPONDENTEM,

Amicum Colendum.

Hæc mens sursum. Quid volvat sidera, queris:
An Deus, ingenium, principium, an propius?
Perge viam. Pergas Scultete abscondita mente
Pandere felici, præmia digna feres.

JOH. Eperling
h.t. Decanus.



Ad

Literatissimum Juvvenem,

JOHANNEM FRIDERICUM SCULTETUM

Torgensem.

DE INTELLIGENTIIS

disputantem.

Quæ cæli moveant orbem & sidera vertant
Dentur ne mentes luce cælicâ satæ,

Quæ

*Quasitum priscis: tu nunc SCULTETE resumis,
Negasq̄, Stagirita quod posuit Sophus.
Ardua res, veri cura est; tutelaq̄, major:
SCULTETE, utramque vindicas laudem Tibi.*

AUGUSTUS BUCHNERUS.




PRÆSTANTISS. DNO. RESPONDENTI.

TE, SCULTETE, sui sub sellia magna terentem
SPERLINGI, rursus dum Wittebergam videt,
Perge mihi, dixit. Quod si DEUS ore sereno
Annuerit, patriæ nobile sidus eris.
Servantur magnis isti conatibus ausus,
Nectenui vinci vult generosus amor.

M. Jacobus Reichenmann
Coll. Phil. Adj. S. S. C.

FINIS



✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



77 10

TIARUM
S MOVENTIUM

SSIO

TA
SIDIO

TISSIMI, CLARISSIMI,

IS Sperling,

E-DECANI

ENTE

ICO SCULTETO
ELECTORAL,

r. Martij.

io Majori

RGÆ.
BORCKARDTI.
1655-

